

14.

F. 14. num. 7.

1804, 9 b
M

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JVRIDICA

DE

VASALLO NON STATV IMPERII

Bon denen Reichs-Vasallen, welche nicht
zugleich vor Reichsständen zu halten.

QVAE
PRAESIDE

DN. IOH. CHRISTIANO
SCHROETERO

IVRIVM DOCTORE ET PROFESS. PVBL. NEC
NON CVRIAEC PROVINC. ADVOCATO
ORDINARIO

IN ILLVSTRI ACADEMIA SALANA

AD DIEM X. FEBR. A. MDCCIV.

PUBLICAE ERVDITORVM CENSVRAE SVBMITTIT

ET

RESPONDENTE

LVDOVICVS CONRADVS DAHNIVS

MEISENH. BIPONT.

VITEMBERGAE, RECUSA A. CL. MDCCXL.




DISSERTATIO IURIDICA

VASALLION
STATAMERI

DI TON CHRISTIANO
SCHOLASTICO

IN LITURGIA ACADEMIA STAN

ADOLEXUS GENNARUS DUVINUS





Sectio Prima.

Quinam dicantur Status, quae Membra
& Vasalli Imperii.

- §. I. *Imperium nostrum quibus partibus constet.*
- §. II. *Relatio in matriculam an Statum probet.*
- §. III. *Contributio ad aerarium publicum non facit Statum.*
- §. IV. *Nec relatio in quaterniones.*
- §. V. *Nec relatio in circulos.*
- §. VI. *An ex eo, quod quis immediate subicit Imperio, Status dignosci possit?*
- §. VII. *An omnes Status necessario gaudcent superioritate territoriali?*
- §. VIII. *Statum Imperii facit ius sessionis & suffragii in Comitiis.*
- §. IX. *Rex Bohemiae an sit Status Imperii?*
- §. X. *Quinam dicantur Membra Imperii?*
- §. XI. *Quinam dicantur Vasalli Imperii?*

§. I.

Imperium nostrum Romano - Germanicum ex arctissimo inter Imperatorem & Status vinculo subsistere apud omnes satis est in propatulo. Hinc ordo naturalis Juris Publici postulat, ut de Imperatore primum agatur separatis, ejusdemque reservatis, inde progressus fiat ad Status Imperii, qui tanquam membra, Imperatorem, caput suum venerantur. Nec tamen soli sunt Status, qui Imperium recognoscunt, sed triplex est ordo eorum, qui ab Imperio nostro Romano- Germanico dependent. Communiter quidem dividuntur in Status Imperii, qui in ipsa Imperii administratione, jura sua communicata habent, & membra Imperii immediata, quae de Imperio quidem non participant, in Imperio tamen viventes nullum agnoscent superiorem quam Imperium & Imperatorem. Addimus hisce tertiam speciem eorum, qui nec Status sunt, nec membra immediata, Vasalli tamen Imperii. Singula haec ut planius fiant, hic exponemus, ita tamen, ut potiorum rationem habeamus Vasallorum.

§. II.

Status Imperii qui dicantur, multa inter Dd. est controversia. Sunt quidam, inter quos est Limnaeus de J. P. l. 1. c. VII. §. 86, qui ex eo solum, quod quis in matriculam relatus, Statum Imperii esse arguunt: Ast lubricam hanc esse, sententiam ex eo patet, quod inter Juris Publici Doctores constet nullam, in Republica nostra Romano- Germanica ante illam, quam Sigis-

Sigismundus A. 1431. conscribi fecit, extare matriculam, uti testatur Goldastus de Regno Bohemiae, lib. II. c. 17. n. 2. Conring. de Germ. Imp. Civibus lib. 9. p. 4. Mauritus de Matricula Imp. §. 8. ex quo tamen seque-rerur, nullos fuisse ante tempora Sigismundi Imperii Status, quod dicere a ratione admodum est alienum. Purat quidem Boeler. in Notitia S. R. Imp. lib. 3. c. 4. §. 2. antiquas quidem matriculas non probare Statum Imperii, ast illam, quae in Comitiis Wormatiensibus A. 1521. corrector fuit edita. Verum neque hanc ju-stam esse ex eo patet, quod Status Carolo V. Imperatori in Comitiis Augustanis A. 1548. exhibuerunt longum Catalogum eorum, qui injuste in matriculam fuerant relati, quos eximendos putarent, ita ut Anno 1570. de loco tractaretur, quo emendarior confiscere-tur matricula, id quod saepius repetitum, nondum tamen ad finem perductum. Haec igitur incertitudo obstat, quo minus matriculam pro regula Statuum habeamus.

§. III.

Alii ex eo Statum cognosci putant, dum quis ad aerarium Imperii immediate quidpiam confert. Con-ringius quidem de Civibus Imperii §. X. fateretur, prout nunc sunt Imperii mores, ferè solos illos, qui contri-buunt immediate in publicam aerarium, & qui alio sunt adscripti, suffragandi in Comitiis jus habere, & per consequens Status esse, nec tamen hoc solum veram Status noram esse audet adserere, cum ipse pro-bet turbatis Imperii rebus factum esse, ut de quibus-

A 3

dam

dam jurene inseri debeant annon, item solverene sua
debeant publico nec ne, hodieque incertum sit. Im-
mo plures indubie sunt Status, qui nec in matriculam
relati, nec quidpiam contribuant. Talis olim erat
Magister Ordinis Teutonici in Borussia, qui Status Im-
perii erat, quod testatur subscriptio R. J. Augustae
A. 1500, in nullam vero matriculam relatus, uti adpa-
ret ex R. J. de A. 1512. §. Den Hochmeister aus Preuß-
sen belangend. Hodie Rex Bohemiae, Archiduces
Austriæ, Dux Sabaudiae & alii perplures Status Im-
perii omnino sunt, nihil tamen conferunt. Itaque
neque relatio in matriculam, neque contributio ad
onera Imperii, justam adhuc præsumptionem faciunt
de Statu Imperii, nisi, uti bene monet Schüzius Vol. I.
J. P. Diff. VI. thes. 2. lit. E. pag. 345. ibi contineantur
cum qualitate ferendi suffragium, habendeque sessio-
nis in Comitiis.

§. IV.

Nec tamen relatio in Quaterniones, nec relatio
in Circulos sufficienter de Statu Imperii testabuntur.
Quantum enim ad fabulam Statuum in Quaterniones
relatorum, illam fide haut nisi, plerique omnes
agnoscunt. Haec enim diviso ad tempora Ottonis III,
uti communiter fit, referri minime potest, cum qua-
tuor jam Electores memorentur, qui nondum illo tem-
pore noti, Episcopus Bambergensis, qui sub Henrico II.
originem duxit, Austriae Duces, dernum sub Fride-
rico I. erti, Thuringiae & Hassiae Landgravii, qui
longo post tempora Ottonis III. intervallo coepérunt.
Immo tot scater defectibus aliis. Papa habetur inter
Ele-

Electores Ecclesiasticos. Nulli exhibentur Episcopi, nulli Abbates, Patriarchae vero, Primates & Cancelarii numerantur inter Status Ecclesiasticos. Nec quod in Recessu conventus circularis underfalis Erfurtensis. A. 1567. mentio facta der vier Grafen des Reichs/ quodque Episcopus Monaster. in Memorial. A. 1653. d. 25. April. exhibito eam ex errore pro vera habuerit, autoritatem divisioni huic Statuum per quaterniores conciliare paret, viris rerum Germanicarum maxime gnis-
ris dum dum explosae.

§. V.

Relatio in Circulum non sufficit, tum etiam in hoc reperiantur defectus. Plures enim in circulos relati, qui tamen Status Imperii non sunt. Ita circulo Rhenano inferiori adscriptus est Dux Bullionensis, datus Dux Mosanus, der Herzog an der Maase. Circulo Rhenano Superiori, Dux Cabilonensis, Marchio Rödelanus, Dux Novo Castellanus, qui tamen omnes Status Imperii non sunt. Ita Belgae quoque Anno 1672. irrumpte in eorum provincias Gallo, se ipsos partem esse circuli Burgundici professi sunt, licet ullo indicio, in censi eorum, qui Imperio sunt obnoxii, aestimari derrectent. Alii Status Imperii quidem sunt, in certos circulos tamen non relari. Qualis erat Magister Ordinis Teutonici in Borussia, qui Comitiorum capax, circulo tamen certo non adscriptus erat. Hodie Rex Bohemiae, ut Elector, Status omnino est, circulo tamén non adscriptus. Tentabat quidem Maximilianus I. decem, quos formaveyat, circulis,

culis, Borussicum & Bohemicum superaddere, sed cum protestarentur binæ nationes, res ad effectum non fuit perducta.

§. VI.

Alii ex eo solum, quod quis immediate Imperio subdit, Statum dignosci posse putant, quibus tamen sanores contradicunt, bene distinguentes inter Statum Imperii esse & Membrum, cum utrique immediate subsint Imperio. De hoc saltim est dubium, an etiam Princeps quidam vel Comes mediatus possit esse Status Imperii. De eo quidem dubium non est, posse eum, qui ratione feudorum Imperii Status est, respetu aliorum quoque alterius Status esse Vasallum, sed de eo saltim est disceprandum, an quis, qui nulla plene bona immediata possidet, nihil omnis possit Status Imperii. Leges fundamentales recentiores omnino requirunt, eum, qui Status Imperii esse velit, immediate Imperio subjectum esse debere, non modo ratione personae, sed etiam ratione bonorum. Ita enim praescribit Capitulatio Ferdinandi III. art. 46. Ferdinandi IV. art. 44. Leopoldi art. 44. Josephi art. 43. Rec. Imp. de anno 1654. §. 197. verbis. Sie haben sich dann vorher mit ohnmittelbahren Fürstenthägen Reichs-Gütern versehen. Exempla habemus in Principe Portia & Piccolomini, quibus etsi ex certo privilegio, tanquam personae dignitas, concessum esset, ut inter Status Imperii adscriberentur, filiis tamen eorum, utpote qui nulla bona Principe digna sibi acquisiverunt, hoc jus denegatum fuit. Antiquiori sane

tem-

tempore ad Statum Imperii non semper requirebatur, ut bona possiderent Imperio immediate subjecta, si modo Principe digna. Exemplum praebent Magister Borussicus atque Magister Ordinis fratrum Militiae Christi, qui Principes Imperii & Status fuerant, cum tamen nec Borussia, nec Livonia feuda fuerint unquam Imperii, licet Imperium alio modo pro superiori adgnoverint.

§. VII.

Deo eo autem noviter mota fuit quaestio, an Omnis Status necessario gaudeat Superioritate territoriali. Joh. Strauca, *dissert. Exot. IV. tb. 22.* & qui hunc sequitur D. Schyvederus, *Introd. in Jus Publ. p. Spec. Sez. I. cap. 30. §. X.* hanc fovent opinionem, superioritatem territorialem omnino consequi dignitatem Status & Civis Imperii. Contradicit Andreas Ockelius de regali Postarum jure p. 101. ubi Legibus hanc opinionem consentaneam non esse existimat. Provoeat autem ad Cocceji prudentiam juris publici c. XIX. §. n, qui Comites Erbacenses adlegat, quorum totum Comitatum esse mediatum notar, Eleftorem Palatinum Dominum directum adgnoscetem, rationem addens, quod dignitas Status non tam dependeat a terris, quam ab officio, cum illi qui terris, ceu partibus regni Germanici vi officii eis cohaerentis praesunt, consultationibus quoque totius regni interficiant. Quae vero ratio pro nostri temporis & juris publici Statu, non amplius locum invenire alias videtur, cum a tempore interregni, quo Superioritas territorialis maxime invaluit, non tam officiorum, quam terra-

B

rum

rum in Status dignitate habitam fuisse rationem
 ceuseant. Comitum autem tantam rationem ha-
 bitam non fuisse ac Principum certum est, cum
 isti non viritum, sed secundum scamina sua suffragia
 ferant. Alterum exemplum profert ipse cekelius Co-
 mitum Mansfeldicorum, qui, licet Status Imperii ex-
 tra dubium sint, omni tamen superioritate territoriali
 carere ipsos putat, cum non tantum tanquam subditi
 & Vasalli totum Comitatum utriusque superioritatis,
 beyder Hohen der Sächsischen und Magdebur-
 gischen, ab Electore Saxoniae & Duce Magdeburgico
 recognoscant, sed etiam hic Comitatus vigore huius
 Superioritatis ab hisce Principibus propter debita Co-
 mitum administretur. Erant autem laudati Comites
 Domini olim liberae dynastiae Querfurt, cuius rati-
 one etiam sessionem & votum in Comitiis obtinue-
 runt, quae licet nunc ad domum Saxoniam lineae
 Albertinae spectet, tacito tamen consensu votum ad-
 huc retinuerunt. Tertium exemplum adducit Lim-
 naeus de J. P. lib. I. cap. VII. n. 99. & seqq. Ducus Wür-
 tenbergici qui fiduciarius olim fuit domus Austria-
 cae. Hoc tamen non exemplum solum singulare e-
 rar, sed etiam in transactione Cadamensi ita decre-
 tum, ut Württembergicus Ducatus quidem beneficia-
 riis esset Austriacae domus, doch dem Hr. König-
 schen Reich seiner Obrigkeit und Gerechtigkeit auch
 dem von Württemberg seinen Stand und Stimme
 im Reich, wie es solches zuvor hat gehabt an ge-
 meldeten Herzogthum in alle Wege vorbehalten. Im-
 mo, quod magis est, per transactionem Pragensem

A. 1599.

A. 1599. haec subinfeudatio a Rudolpho II. plane est remissa. / Optime rem hanc declarante L. B. de Lynckerus de Superioritate territoriali. p. 45. qui non insolitum esse observat, ut Status aliquis terras quasdam ab Imperii Principe in feudum recognoscat, quarum superioritatem in feudum ab Imperio suscipit, & illarum quoque nomine in Comitiis votum & sessionem habet. Hinc J.P. Doctores communiter adserunt, jus Status sive sessionis & suffragii in Comitiis in bonis immediatis esse radicatum, adeo, ut si quis sive voluntate, sive culpa bonis Imperii excidat, etiam dignitatem Status Imperii amittat. D. Schyvederus P. Spec. Sect. II. cap. 1. §. 2.

§. VIII.

Remotis hisce unicui superest, ut dicamus quidnam ad Statutum Imperii requiratur. Scilicet vera & genuina Status qualitas est jus sessionis & voti in Comitiis. Merito igitur adseritum Conringio, de civibus Imperii, qui §. 8. ait: *Hoc suffragiorum jus, adeo est proprium civium verorum, verorumque Ordinum ac Statuum alicuius civitatis, ut essentiam eorum unice constituat.* Status itaque definitus, quod sit civis Imperii Romano - Germanici, gaudens jure sessionis & voti in Comitiis. Fundatur hoc legibus Imperii per R. I. Augustae 1548. §. 56. verbis: nicht Etium und Stand in Reichs - Versammlungen. G. § 105. Conferriri potest. R. I. Augustae 1500. §. 51. wie die Errung der Session. R. I. Spirae 1544. §. 101. Und als sich im Anfang R. I. Augustae 1559. §. 84. als sich dann auch novissime definitum per R. I. Ratisbonae 1654. §. 197. ut

B 2

ex

ex illo satis clare argumentari liceat, qui sessionem & votum in Comitiis Imperii nostri non habet, non est civis, nec Status Imperii Germanici. Ex his plane sequitur, diversum adhuc, Principem Imperii esse & Statum Imperii esse. Imperator, pro jure suo conferendi dignitates illustres, Principes facit, ut vero effectu gaudeant sessionis & voti in Comitiis, non nisi adhibito collegiali consensu Electorem & reliquorum perficitur Principum Cap. Leop. art. 44. & Joseph. art. 43. Quid circa receptionem principis Hohen Zollernani actum fuerit, anno 1640. in Principum Collegio, & quae in causa Principis Lobkowitzii, exhibet Lunderp. Tom. IV. lib. IV. cap. 5. pag. 867. it. Tomo VII. lib. VI. cap. 577. p. 683. & passim. Conveniunt de eo plerique J. P. Doctores, Conring de civibus Imperii §. VIII. Schwederus P. Spec. Sect. II. cap. 1. §. 3. & 4. Mauritus de Matricula Imperii §. XIX. & seqq. Pfeffinger ad Virarium lib. I. tit. XII. §. 1. qui etiam plures in hanc sententiam adlegat. Neque tamen sola citatio vel comparatio in Comitiis sufficit, sed ipsum votum & suffragium requiritur.

§. IX.

Dubium adhuc supereft de Rege Bohemiae, an ideo, quod sessionem & votum in Comitiis non habet, Status Imperii non sit. Sunt, qui hoc dicant, sed immerito. Qui enim in eligendo Imperatore ius habet, civis omnino est. Immo ipsi Imperii Ordines anno 1610. in replica in conventu Pragensi exhibita, illum Statum Imperii vocant, apud Limnaeum *Ad-
dit:*

dit, II. ad lib. I. cap. VII. n. 92. Id quidem latius dici
cum Carpzovio putat D. Coccejus J. P. Prudentia cap.
XIX. §. 10. cum ibi tantum de cura, quam Imperium
de Bohemia, seu membro Imperii habere debeat,
agatur. Sed ut sub dubitem de eo facit, quod latio-
rem hanc Status acceptationem in legibus Imperii alibi
me legisse non metinierim. Urget quidem laudatus
vir, Regem Bohemiae eximi e numero Statuum
proprie dictorum, cum quia Rex est, tum quia ut
Rex Bohemiae non est juris Germanici, sed Sclavici.
Prud. J. P. cap. III. Sect. IV. & cap. XII. §. 12. quare nec
sessionem & votum in Comitiis unquam habuerit.
Verum regis dignitas non obstat, quo minus sit Status,
cum alias Vasallus sit, quod adhuc minus est. De-
inde Goldastus de Regno Bohemiae lib. IV. c. V. & VI.
probavit, ab aliquot retro seculis ad Comitia vocatum
fuisse Bohemiae Regem, etiam interfuisse pluribus,
per so cordiam vero Wenceslai postea factum, ut ad
negotia Imperii, excepta electione Imperatoria, non
admitteretur. Addit Thomas. ad Monzambano cap. V. §.
3. & hanc rationem, quod vel ipsi eligendi, vel horum
adgnati fuerint Reges Bohemiae. Quare per non u-
sum hoc privilegium amisere Bohemi, salva tamen
Status dignitate, quam ut Electores habent. Licer
enim ad Comitia universalia non amplius vocentur,
nec ad capitulationis praeparatoria admittantur, ipsa
tamen electioni intersunt, quod magis adhuc est.

§. X.

A Statibus progredimur ad alteram classem in
Imperio, eorum, qui dicuntur Membra Imperii. Hæc
B. 3 autem

autem in multis cum Statibus Imperii convenient, in non paucis vero ab iisdem discrepant. Imperio immediate subsunt, ejusdemque partem faciunt. Fruuntur pace profana & religiosa, atque aliis privilegiis, quae ex legibus fundamentalibus preflouunt. Differunt tamen cessione & voto in Comitiis atque superioritate territoriali, utpote quae Membris immediatis non convenient. Talia Membra immediata sunt Nobilitas immediata, & quidem Commendatores Ordinis Teutonici, & Collegia quaedam Canonicorum libera, quae enumerat Schwederus *part. Sect. II. cap. XVIII.* Hi enim Imperium pro superiori adgnoscunt, eidem immediate sunt subjecti, de Imperio participant, iuribus quibusdam eximiis fruuntur, & aliis privilegiis, in Comitorum jure Statibus tamen sunt minores. Quare isti saepius Statibus jungi solent, utpote Capit. Leopold. *art. VIII. verbis Churfürsten und Stände des Reichs/ saint ver urmittelbaren Reichs-Ritterschafft & art. XV.* Und andere Stände des Reichs ingleichen der unmittelbahren Reichs-Ritterschafft & Instrum. *Pac. art. III. & art. V. §. 2.*

§. XI.

Addimus nunc tertiam Classem eorum, qui nec Status sunt, nec Membra Imperii, sed tantum Vasalli. Iste Status non sunt, quia in Comitiis non comparent, nec Membra, quia de Imperio non participant, nec privilegia Statuum & membrorum ipsis convenient, nec etiam ad onera publica Imperii quidam contribuant, quia tamen feuda ab Imperio recognoscunt, merito dicuntur Vasalli Imperii. Tales sunt,

sunt, qui extra Germanici Regni fines, hodie Imperium recognoscunt, reliquiae potissimum veteris regni Longobardici, quod separatas semper rationes habuit cum Imperio Romano & Regno Germanico, licet ab Ottonis M. temporibus in una persona semper fuerint conjuncta. Hinc licet Principes Italiae, qui Vasalli sunt Imperii, quantum ad jura Suprematus, Principibus Germaniae & Statibus Imperii nostri non sint inferiores, tamen quantum ad jura in Imperio, Statibus Imperii omnino sunt posthabendi, quia de Imperio nihil participant, sed juris sunt Longobardici, non juris Germanici. Quare etiam Imperii jura in haec feuda, alia non sunt, quam Domini directi in Vasallos. Evidem Joannes Wolfgangus Textor *de jure publico Statuum Imperii tit. i. n. 65.* hosce Vasallos Imperii, sub membris ejusdem comprehendit, sed quam bene supra jam dum fuit demonstratum.

Sectio Secunda.

Enumeratio Vasallorum Imperii, qui non sunt Status.

- §. I. Digressio ad enumerationem Statuum.
- §. II. *Nobiles immediati sunt Vasalli Imperii.*
- §. III. *Nobiles immediati distinguuntur a Statibus Superioritate territoriali & aliis iuribus.*
- §. IV. *Quid sentiendum de praecedentia inter ipsos & Comites Imperii.*
- §. V. *Fundamenta Nobilium immediatorum, Controversia*

versa inter Nobiles immediatos & Civitates Imperiales depraecedentia.

- §. VI. Responso Civitatum ad eadem.
- §. VII. ex iuris bujus controversiae.
- §. VIII. Praerogativa Nobilium immediatorum.
- §. IX. An jus Imperii in Italiam penitus sit extinctum.
- §. X. Status Italiæ qui ab Imperio non dependunt.
- §. XI. Inter Vasallos Italiæ primus est Rex Hispanie ratione Ducatus Mediolanensis.
- §. XII. Jura Imperii in ducatum Mediolanensem more quo Carobi II.
- §. XIII. Magnus Hetruriae Dux est Vasallus Imperii ratione Florentini Ducatus.
- §. XIV. Etiam ratione aliorum feudorum.
- §. XV. Mantuae Dux est Vasallus Imperii.
- §. XVI. Etiam ratione Ducatus Montisferratensis.
- §. XVII. Guastalla, Novellaria, Bozzolo, Sabionetta, Castiglione sunt feuda Imperii.
- §. XVIII. Mutinæ & Regii Princeps est Vasallus Imperii.
- §. XIX. Mirandolae Princeps, Dux Parmæ & Placentiae, Respublica Genua & Lucca, quæ feuda possident.
- §. XX. Dux Sabaudiae est Vasallus & Status Imperii.
- §. XXI. Etiam ratione Ducatus Montisferratensis est Vasallus Imperii.
- §. XXII. Hispaniae Rex olim Imperii Vasallus ratione Comitatus Burgundiae.
- §. XXIII. Lotharingiae Dux est Vasallus Imperii.
- §. XXIV. Dantur Reges exteri, qui Vasalli sunt & Status Imperii.

§. XXV.

§. XXV. An expeditat Republicae Germanicae Reges ex-
teros Vasallos habere.

§. XXVI. An expeditat numerum Vasallorum augeri.

§. I.

Superiori sectione dictum fuit, quinam dicantur
Statuti, quae Membra, qui Vasalli Imperii, & quæ
inter hosce sit differentia. Progredimur ulterius, &
ex instituti nostri ratione de Vasallis, qui non sunt Sta-
tus Imperii, nunc sumus solliciti. Ubi primum con-
veniet, horum Catalogum nectere, inde progressus
fieri debet ad horum jura atque incommoda.

§. II.

In Vasallorum numero primo loco sunt habendi
nobiles Imperii immediati, hi licet membra insimul
sunt, tamen ratione feudorum, quae possident, Va-
salli sunt, non Status Imperii. Sunt, qui hosce Sta-
tus olim fuisse Imperii contendant, jus sessionis & suf-
fragii in Comitiis habuisse, tempore vero Friderici
tertii a Comitiis abesse caepisse, inter quos est Buxtorf.
ad A. B. Concl. V. Rumelinus ad A. B. P. 1. d. i. §. 12. vid.
Schilter. *Inst. Juris Publici lib. 1. tit. XXII. §. V.* Idque
singulare tractatu probare adgressi sunt Hippolytus
Treisbach, in unvorgreiflichen Bedenken über etli-
che Fragen der freyen Reichs-Ritterschafft &c. Stand
und session betreffend, aliasque Autor discursus das
des H. R. Reichs freyer unmittelbarer Adel ein
Stand des H. R. Reichs seyn. Verum nobiles immediati
Status Imperii nunquam fuerunt, cum non propter
C offici-

officium regni, sed ministerium & ipsi constituti, & terrae iis datae sint. Dicuntur ideo Knechte des Reichs. Ordin. des Regiments zu Augspurg A. 1500. cit. von der Ritter- und Knecht- Steur. Obstatre quidem putant R. J. Wormatiae A. 1564. §. 32. Wir wollen auch auf uns fürbracht Bedenken, die hiebevor ausgekunte Mandata die Kriegs-Gewerb berreffend, wiedervum erneuren, auch in diese die Ganerben und andere von der Ritterschaft, und dem Adel, welche unter dem Kreys- und Reichs-Ständen mit begriffen sind, mit einziehen. Verum notanter ibi junguntur die Ganerben & dicuntur unter dem Kreys und Reich Ständen begriffen sind. Inter Ganerbinatus enim, Friedbergensis adhuc hodie Statibus Imperii adnumeratur. Reliqui nobiles immediati vero hac in parte Statibus aequiparantur, ita ut eadem jura ratione pacis profanae, quae in eodem Recessu confirmatur, habeant ac Status. Quod si enim nomine & ipsi videntur, non opus fuisset, singulari paragrapgo ipsorum ceu inibi comprehensorum, speciatim facere mentionem. Comitiis quidem interfuerunt olim, quod facile ex Comitiis Noribergensis adparet, anno 1356, in quibus Aurea Bulla fuit promulgata, ubi etiam nobilium in praeftatione fit mentio. Verum sola haec comparitio illos Status non facit, cum de sessione & voto non constet. vid. L. B. de Lyncker. Anal. ad Sched. P. 2. S. 2. c. 18. §. 5. Immo, ad conventus extraordinarios, cum ipsorum quoque interfuerit, saepius fuerunt convocati. Factum hoc in conventu Norico Ordinum correspondentium sive Evangelicorum anno 1619.

no 1619. 1631. 1633. & sequente Heilbrunnensi 1633.
atque in tractatibus Pacis Westphalicae. Schilter In-
stitutionibus J. P. lib. I. tit. 22. §. 5. Pfeffinger ad Vitri-
arium lib. IV. tit. 1. §. 30. & seqq. qui etiam variis scri-
ptis, quae inseruit, quod non tantum Status confirmavit.
Hodie de eo amplius dubitandum non est, cum ipsi
Nobiles immediati per libellos supplices a Caesare pe-
nient, ut in numerum Statuum reciperentur, cer-
tum atque perpetuum censem ad onera Imperii offe-
rentes, nec tamen recepti.

§. III.

Dictis & hoc addimus, nobilitati immediatae,
Superioritatem quoque territorialem, assignari a ple-
risque, ast immerito. Licer enim vi pacis religiosae
& conventionis, uti ipsa verba habent, jus sacrorum
atquae aliqua jura territorii, ipsis fuerint concessa, ea
tamen tantum sunt, quae in commodis privatis con-
sistunt, praecipuis aurem non gaudent, utpote jure
collectandi, conscribendi milites & omni jure arman-
diae, & licet illis adsignetur die Landes-Obrigkeit/
tamen ab hoc diversa est die Landes-Hoheit/ hohe
Landes-Obrigkeit. Nec si quae praerogativae singu-
laris in iis sunt, superioritatis territorialis ob id esse ne-
cessa est.

§. IV.

Hinc etiam conjectandum facillime est, quid ju-
ris sit in ista controversia, quae ab aliquibus mota, de

C 2

S. R. G.

S. R. G. Imperii Comitum praerogativa, ac jure inter ipsos & ordinem Equestrem Imperii immediatum controverso. Besoldus in Thesauro Practico voce Heich^s Stände & qui hunc sequitur, Caspar a Lerch. lib. I. de nobilitate p. 212. Nobiles Francorum & Comites pagorum fuisse paris conditionis, & Comites nihil amplius fuisse quam Nobiles, adserunt. Respondit autem illis singulari diatribe eademque doctissima celeberrimus Schilterus, quo Comitum jura & praerogativam p[re]e nobilitate immediata masculine defendit. Nobiles enim secundum leges & observantiam Imperii distinguuntur in Nobilitatem superiorum, Herren Stands-Personen hohen Adel/ nobilitatem summae fortis, in centum gravaminibus nationes Germaniae, in Comitis Noricis 1522. exhibitis, & nobilitatem inferiorem, nobiles mediae fortis, in dictis gravaminibus, qui olim dicti ministeriales Dienst-Manne. Ex hac autem praerogativa facile adparet. Accedit & hoc, quod Comites vel ex eo, quod Comitorum sint capaces, & plerique inter Status Imperii sint recepti, antefieri mereantur, secundum ea, quae Sectione prima dicta fuerunt. Quare etiam in Capitulatione Leopoldi art. XL. Josephi art. XXXIX. Comites Imperii nobilibus aperie praeponantur, ita tamen, ut in judicio alico paritas servaretur, inter consiliarios equestris dignitatis & Comites mediatos, ex quo paritatem dignitatis in omni causa & indistincte praeclumant multi, sed perperam.

§. V.

Similis controversia orta est inter civitates Imperiales & Nobiles immediatos, depraecedentia. Mora haec fuit in conventibus quibusdam extracomitiali- bus, ad quos vocati aequi fuerunt Nobiles immediati, utpore in diaeta Ordinum Correspondentium Noribergensi, anni 1619. Conventu confoederato- rum Ordinum Franconfurtensi & Heilbrunnensi de annis 1627. 1631. 1633. & 1634. atque recruduit magis in tractatibus pacis Westphalicae, in quibus priorem sedem pree civitatibus quaesiverunt nobiles. Fundamenta agrem Nobilitas immediata pro se alle- gavit varia. Primum petunt ex Stylo & Constituti- onibus Imperii, quod quories mentio fiat nobilitatis immediatae & civitatum, illa semper preeponatur, (2) ex generali praerogativa Nobilium pree ignobili- bus (3) quod alias Nobilitati immediatae injury fieret, quibus justa debeantur preemia ob servitia sua milita- ria olim preestata, (4) Nobilitatem immediatam in conventibus extraordinariis partem constituisse Prae- latorum, Comitum & Baronum (5) Nobilem si Ba- ronis dignitatem nanciscatur preeferri integro colle- gio civitatum, quanto magis ergo illud dicendum esse de universo ordine Nobilitatis (6) Nobiles mediatus anteferri civitatibus municipalibus, id quod etiam ad immediatos applicari possit, ratione Civitatum Imper- ialium. (7) Dari a Caesare Nobilitati immediatae ti- tulum Edle, Civitatibus vero Chrsame und Chrb- ren (8) Nobilitatem immediatam anteriori tempore

C 3

com-

comparuisse in Comitiis, sessionem & suffragium tu-
lisse. (9) Patere ex tabulis famosi foederis Suevici,
quod saepius fuit renovatum, nobiles immediatos Or-
dinis Suevici sub Imperio Friderici III. Maximiliani I.
& Caroli V. tam subscribendo, quam votando in sca-
mno Praelatorum, Comitum & Baronum in pleno ci-
vitaribus Imperii fuisse paelatos. Datt: *de pace publica*
lib. II. c. XVIII. n. 37. 38. c. XXI. n. 35. 36. c. XXIII. n. 49.
seqq. Ultimo loco (10) urgent consuetudinem recep-
tam, dum in actibus aliis solennibus nuptiarum, ba-
ptizationum & sepulturarum nobiles immediati etiam
singuli prae Urbium legatis praerogativam obtinent.
His igitur fundamentis facile vincere se posse contra
civitates Imperiales putant.

§. VI.

Ad singula autem civitates non solum habent quod
respondeant, sed suis insuper fundamentis nituntur,
quibus praerogativam suam probent. Ad (1) rege-
runt, nihil concludi, cum certo certius possit demon-
strari, quod alias quoque in Recessibus Imperii inferio-
res Status aliis, qui dignitate maiores, fuerint praé-
lati, ita ut ex eo nullum certum deduci posse argu-
mentum omnes Dd. J. P. adgnoscant. Ad (2) Civi-
tates in ignobilium ordinem perperam referri, immo-
etiam multos ignobiles ratione juris sui praeferriri ad-
huc Nobilibus. Ad (3) Sufficere posse Nobilibus præ-
dia, quae tanquam praetoria militaria possident. Ad
(4) Comitibus illos & Baronibus in conventibus ex-
traordinariis junctos fuisse, plane non obstat, cum
etiam

etiam Principum collegio jungantur Comites, ideo tamen ad illorum dignitatem non adspirent. Maxime, cum in conventibus illis, quibus interfuerunt nobiles immediati, duo tantum constituta fuerint scandala, Comitum et Civitatum, ut ideo alia ratione procedi non potuerit, quam ut in Comitum scandalo insimus etiam nobilibus locus adsignaretur. Ad (5) Baro praecedit non ratione personae, prout Baro est, sed ut Status Imperii, quo ablato respectu cadet etiam praerogativa. Ad (6) Rationem hanc facile procedere in Nobilibus mediatis, qui aequo Status sint Provinciales, & merito preferantur Urbibus municipalibus: secus esse de immediatis, qui Status non sunt. Ad (7) Titulos sola niti observantia, neque ex illis quidquam posse concludi. Ad (8) hoc quantum ad suffragium plane negari. Ad (9) in subscriptionibus varie fuisse erratum, civitates Imperiales singulari scripto testatas esse, nec abnuere Limnaeum Tomo I. addit. ad lib. IX. c. 1. n. 210. Ad (10) ex actibus privatis nihil concludi ad actus publicos, maxime cum in iis civitates Imperiales non tanquam in corpore considerentur, sed ut singulae, ut ideo honoris loco horum legati cedant Nobilibus immediatis praesentibus.

S. VII.

Quod si rem ipsam penitus consideremus, nobiles immediati matriculae non sunt inserti, ad onera publica non nisi subsidia charitativa conferunt, sessiōnem & votum in Comitiis, ut crebro dictum, non habent, uno verbo, Status Imperii non sunt, sed tales,

les, qui Statibus ipsis, etiam Civitatibus subnectuntur, & membra sunt Imperii. Civitates autem Imperiales Status sunt, & de Imperii administratione participant. Non immixto hinc concludimus, Status in Imperio praeferrri debere illi, qui non est Status, cum ista dignitas in imperio nostro sit maxima.

§. VIII.

Hae autem sunt praerogativae potiores nobilitatis immediatae. Habent jus sacrorum, Jus Austregarum, jus Archivi, speciales Diaetas inter se celebrant, foedera cum aliis juste contrahunt, habent jus collectandi subditos suos privatum, jus mittendi Legatos, bannum ferinum, merum & mixtum Imperium & quae sunt similia, de quibus Knipschildius & alii J. P. Doctores passim. In his plures sunt praerogativaes prae aliis, qui nudi sunt vasalli, de quibus infra dicimus pluribus.

§. IX.

Plures omnino reperiuntur, qui nec Status sunt, nec membra Imperii, sed nudi vasalli. Intra limites Germanici regni tales non habemus, sed vel Status, vel saltim membra, in Italia vero multi tales extant. Primo loco examinandum autem hic erit, an omne jus Imperii in Italiam extinctum sit? In id enim, inquit Conringius, *velut compacto videas multos eorum, eosque longe praeclarissimos consentire, quasi cum Friderico II. regnum omnē Italiae, quod primus Otto felicibus annis Germaniae adseruerat, conciderit. Illum scilicet, Itali-*

taliae regum fuisse ultimum, qui successerunt vero in Ita-
liam nihil habuisse juris, saltim nunc ejus nihil quidquam
superesse. Refutat itaque hac in parte Carolum Sigo-
nium, atque addit; Caeterum et si non abnuam, splen-
dorem regiae Majestatis cum Friderico fere extinctum, ip-
sam tamen illam ne nunc quidem omnino interisse, su-
perstite scilicet etiamnum, saltim parte summa regiorum
jurium, de finibus Imperii lib. II. c. XXIII. §. 1. & 2.
Bene ait Conringius, cum Friderico II. concidisse splen-
dorem Regiae Majestatis in Italia, non ipsam potesta-
tem. Habet enim Imperium Romano-Germanicum
jura sua adhuc in Italia, tanquam reliquias veteris re-
gni Longobardici, haec tamen hodie solum in reco-
gnitione feudorum aliquot consistunt, quae ad com-
munia Imperii onera nihil amplius conferunt, nisi
quod belli tempore cum Commissariis Caesareis de
Contributionibus pacisci teneantur.

§. X.

Cum autem demonstratum sit, habere adhuc Im-
perium jura sua in Italiam, enumerandi sunt Vasalli,
qui ab Imperio adhuc dependent. Nolumus jam re-
petere prætensiones, quas movent communiter in
dominium directum regni Siciliae, Neapolitani, pa-
trimonii Petri atque aliarum terrarum Italiae cum il-
lud nunquam in fide Imperii fuerit, uti demonstravit
Iterus de Feudis Imperii. cap. VI. §. 3. hae ad Imperium
quidem olim spectaverint, nunc vero præscriptione
tot seculorum ab eodem avulsae sint, sed de iis Vasal-
lis tantum dicemus, qui adhuc hodie tales sunt.

D

§. XI.

§. XI.

Primus inter Vasallos Italiae est Rex Hispanie, ratione Ducatus Mediolanensis. Hunc autem a longo tempore feudum fuisse Imperii, nemo forsan negabit. Antiquo tempore Imperatores hancce provinciam per Vicarios, vulgo dictos Vice Comites, administrabant, e quibus Joannes Galeatius, sceptro pileoque transmissio primus Dux Mediolani ab Imperatore Wenceslao creatus atque investitus est. De quo conquestum fuit collegium Electorale in sententia abdicationis: *Imperium (mutilasti) Mediolano & provincia Longobardiae, quae juris sacri Romani Imperii fuerant, redeuntibus inde ad Imperium amplissimis emolumentis in qua ditione Mediolanensis veluti minister Sac. Imperii partibus fungebatur, cum tu, contra tua quam tuam sublimitatem & dignitatem decebat, accepta pecunia, Mediolani Ducem & Comitem Papiensem creasti. Conring. de Finibus Imperii lib. II. c. XXIII. Flavius Blondus Dec. II. lib. X. p. 886. & seqq. Antonius Coccejus Sabellicus Ennead. IX. lib. IX. p. 432.* Hoc Galeatio & filiis Joanne atque Philippo Maria sine mascula prole extinctis, lis oriebatur inter Aurelianensem, Galeatii e filia Valentina nepotem, atque Franciscum Sfortiam, qui Blancam naturalem Philippi Mariae filiam habebat in matrimonio. Carolus nitebatur tabulis dotalitiis, quibus matri, defunctis sine prole fratribus, succedendi jus tributum; Sfortias vero se in successione legitima uxoria fundabat. Fridericus III. Imperator in hoc dissidente Imperii jura vindicabat. Aurelianensi respondens, tabu-

tabulas istas dotalitias, non a Caesare, sed a Papa confirmatas, nullius esse auctoritatis. Blancam vero natum vitio excludi. Ducatum autem istum tanquam feudum caducum Imperio aperiri. Armis tamen Sforrias Ducatum occupabat, hujusque filius Ludovicus, Maximiliano I. placatus, ab eodem Ducatum Mediolanensem sub beneficii lege obtinuit. Conr^{ng.} de Fin. Imp. lib. II. c. XXIII. p. 33. Diploma investiture adducit Imhof. Hs. Italiæ Geneal. p. 242. Ludovicus XII. Caroli Aurelianensis filius armis Ducatum petiit, immo occupato eodem, etiam investituram ab Imperatore, uti adparet aus der Verantwortung des Römisches Reichs apud Goldastum Reichs-Handlungen p. 274. Haec tamen res ira transacta, ut Maximilianus Ludovicum Regem pro se & filiis masculis de Ducatu investiret. Recruduit res sub Carolo V. composita vero per capturam Francisci I. qui inter alias conditiones liberationis suae omni quoque juri suo in Ducatum Mediolanensem renunciare coactus fuit. Guicciardinus de Regno Italiæ lib. XVI. p. 608. Investitus iraque sub Vasalli lege Franciscus Sforrias, quo sine liberis demortuo, Carolus V. eundem Ducatum tanquam feudum Imperii caducum vindicavit, atque de eo Philippum II. filium suum, Hispaniarum Regem sub clientelari nexu investivit. Guicciardinus in Hispania Italiæ. lib. XIX. Juvius lib. XVII. Spener de arte Heraldica lib. I. cap. XXXVIII. n. 63. Joh. Francis Budaeus de testamentis Imp. cap. II. § 28. & seqq. Eandem investituram postea prosecuti sunt reliqui successores, Reges Hispaniae. Bosius de Regno Hispaniae cap. III.

§. i. Idem egit Philippus IV. qui hunc Ducatum cum Marchionatu Finalis & ditione Senensi in fide & clientela Imperii tenendum tuendumque a Ferdinando Caesaris suscepit. Piafcius in Chronico ad annum 1622. Nec dubitandum est, simili ratione de eodem investiture fuisse Carolum II. Praeterea sub clientelari nexu ab Imperio possidet Marchionatum Finalensem, dynastiam Ponterulo, Senas & Plombinum. Licet autem Hispaniae Rex Vasallus sit Imperii tamen nec Statutus est, nec membrum, cum nec sessionem & votum habeat in Comitiis Imperii Romano-Germanici, nec alias de Imperio participet vel ad onera publica quidam conferat.

§. XII.

Videmus autem ex eo, quae jura sint Imperii hodie in Ducatum Mediolanensem. Extincta enim omni progenie mascula Philippi II. feudum Imperio est apertum. Et si ponamus, testamentum Caroli II. esse legatum, dispositio tamen de Ducatu Mediolanensi, alisque adnexis, valere non potest cum ex jure feudali constet, illicitum esse Vasalli de feudo dispositionem. Provocant quidem Galli ad edictum, seu constitutionem Caroli V. Bruxellis MDXLIX. editum, cui titulus lingua Gallicana est, *Bulle d'or, où est déclaré que l'Empereur Charles V. pour recouler, l'ordre de la succession au Duche de Milan, in quo constitutum, in Ducatu Mediolanensi, ceu feudo haereditario foeminis non minus quam masculis, successionem concedendam*

dam esse, ex quo Galli concludunt, Delphiniū nūne proximum esse haeredem. Verum, bene demonstravit doctissimus Buddeus *l.c.* §. 31. voluisse potius Carolum securitati gentis suae hac factione consulere, ne possessione istius ducatus unquam excideret. Immo si vel maxime Caroli edictum nullo habro respectu ad domum Austriacam, in genere esset intelligendum, Galli tamen ob tot iteratas renunciations, Francisci I. Henrici II. in pace Cameracense, ipsius Regis Ludovici XIV. dum renuntiavit omnibus ditibnibus regni Hispanici, omni jure exciderunt, ita ut nihilominus Leopoldus proximus maneat adgnatus. Neque tamen Carolus V. ullo modo hac bulla praecjudicium attulit Imperio, cum hance restrictionem inferuit: *Sans praecjudice né antmoins de notre souveraineté & de la soumission feudale tant envers nous que le St. Empire*, ut ideo etiam hoc ipso jura Imperii integra serventur, quisquis etiam sit possessor. Ante tempora Caroli V. vero, solum feudum masculum adparer, aus der Verantwortung des Römischen Reichs apud Goldastum in Reichs-Händeln.

P. 175.

§. XIII.

Alterum inter Vasallos in Italia numeramus *N.*
gnum Hetruriae Ducem. Possebat hic feuda quaedam
Imperii, Florentiam urbem cum districtu, Volaterra,
Marchionatum Lunensem, Filaterram aliosque
Marchionatus, olim a Malaspinis possessos. Praetendunt
quidem Florentini libertatem plenariam, eo quod

D 3

Rudol-

Rudolphus Habsburgicus Imperator, cum esset comparandae pecuniae studiosus, per Cancellarium suum e gente Flisca, ipsis libertatem sex millium nummorum auri prero vendiderit, uti testatur Nuclerus Chro-nogr. gen. XLIII. f. 238, cui adstipulatur Trihnius Chron. Hirsaug. ad annum 1286. & Lehmannus lib. V. Chorn. Spir. c. CVI. p. 553. Verum istam libertatis concessionem nisi nisi salvo jure Imperii intelligendam esse innuit Conring de finibus Imperii c. XXIII. §. 4. 5. & 6. idque variis argumentis probare conatur (1) nullas extrare tabulas folennes, quibus res tanti momenti possit proprii. (2) Scriptores οὐνέογες mentionem nullam facere de hac venditione (3) contractum talensi etiam vere factus, subsistere non posse, cum consensus Imperii, qui requiritur, desit. (4) vix creesse, Imperatorem omni jure suo renunciasse, sed ita tantum, ut utile dominum cederetur, salvis manentibus iuribus dominii directi. Julianus Gossellinus quidem scribit, Carolum V. Florentiae castellum vendidisse Cosmo, in vita Ferdinandi Gonzagae. p. 16. quae tamen aequa, in integro jure Imperii, sunt intelligenda. Pater illud quoque exemplo Maximiliani II. His enim Francisco Mediceo titulum Magni Hetruriae Ducis concessit, ea lege, ut confirmationem ejus tanquam Imperii beneficiarius peteret, uti testatur Thura-thus Lib. LX. p. m. 51. Schurzleisch. de divisione Imperii Karolingici p. 915. b. Iterus de feodis Imperii c. VI. §. 22. Testantur quoque exempla nupera, dum Magnus Florentiae Dux cum Commissariis Caesareis inter alios vasallos Imperii de contributionibus quoque pacisci necessum

cessum habuit. Pater illud quoque ex rescripto Caesari Leopoldi sub dato Laxenburgi. 20. Maii. Anno 1701. ad Magnum Hetruriae Ducem, in quo sequentia continentur verba: *quemadmodum igitur persuasi sumus, Dilectionem vestram justissimae ordinationi huic Nostrae Imperiali facile assensuram, ita etiam Nobis certo pollicemur, fore, ut & ipsa pro noto nobis alias ac debito suo fidei interemerat zelo, proque jurisjurandi, quo nobis & sacro Imperio obstringitur, religione nobis immora adbaereat &c.* Fabri Staats: Cangseley: tomo VI. q. m. 626.

§. XIV.

Tenet quoque Magnus Hetruriae Dux Filateram, aliosque Marchionatus a Malespinis olim possessos, eaque feuda Imperii esse testatur Conringius de finibus Imperii cap. XXII, p. 51. atque hactenus de iis se vasallum Imperii professus est, passim recepta Vallagii lege. Senensem tractum ab Imperio tenet Rex Hispaniae, Carolus V. enim Senensem ditionem jure Imperii ad se devoluram, filio Philippo concessit teste Thuano lib. XVI. p. m. 327. Rex Hispaniae autem, eundem in subfeudum concedit Magno Hetruriae Duci. Iterus de feudis Imperii cap. VI. §. XXII. Conring. de Finibus Imperii p. 512. Civitatis quoque Pontremoli, quæ ad Ducatum Mediolanensem quondam pertinuit, sed emptionis titulo ad Magnum Hetruriae Duce translata fuit, infestituram ab Imperatore Duce Hetruriae anno 1650. d. 23. Julii obtinuisse docet Limnaeus ad Capitulationem Ferdinandi IV. art. 31. p. 848. Ilvam quo-

quoque insulam feudum Imperii esse testatur Thuanus
lib. 5. p. m. 93.

§. XV.

Minus negotii erit demonstrare Mantuae Ducem
Vassallum Imperii esse. Nolumus jam rem ab antiquo
repetere, sed recentiora saltim perquirimus. In lit-
teris equidem apud Hortlederum von Ursachen des
deutschen Krieges Tomo I. c. XV. p. 76. dicuntur Mantua
ist eine Rayers: Stadt. & l. c. cap. 27. p. 205. vocatur
des Reichs Eigenthum und der Stadt Mantua Her-
hog ist des Reichs Lehman. Adparet jus Imperato-
ris ex controversia de successione Mantuana post mor-
tem Vincentii anno 1627. oborta, quae per tractatus
Clarescenses fuit composita, atque Nivernensis Dux
Ratisbonae die 19. Junij anno 1631. de Mantuae at-
que Montisferrati ducatu a Caesare fuit investitus, at-
que inauguratus, referente Meterano p. V. Hist. lib.
XLVIII. p. 103. & Wassenberg in Floro Germanico p. 224.
Patet illud plenius ex Instrumento Pacis Caesareo Gal-
lico §. 97. ubi definitum. Similiter declarabit Impera-
tor investitura Ducatus Mantuae comprehendendi castra Re-
giolae & Luzaro, cum suis territoriis & dependentiis,
quorum possessionem Dux Guastallae Duci Mantuiae restitu-
ere teneatur. Patet illud eo magis ex eo, quod Im-
perator noster Leopoldus Ferdinandum Carol. Män-
tuiae Ducem, qui nunc est, eo quod Antegavensi Du-
ci adhaereat, tanquam feloniae reum condemnavit.
Quae Acta habentur in Fabri Staats-Canzelie/
Tomo.

Tomo. IV. p. 618. de quo sectione sequenti dicemus
pluribus.

§. XVI.

Possidet autem Mantuanus Dux quoque Montisferratensem Ducatum aequum feudum Imperii, quare etiam post feloniam Ducis patentes litteras ad Magistratus & subditos Manduanos & Montisferratenos misit Imperator, de non adgnoscendo Ducem Mantuae. Dubitatum olim fuit, an Montisferratenis Ducatus feudum masculinum sit, vel foemineum. Verum ex litteris investiturae, Friderico II. Duci a Carolo V. concessis res clara est. His enim, uti vocantur potissimum omnes descendentes masculi, ita deficientibus ipsis derum & foeminis jus succedendi aperitur. vid. Beschreibung der Lombardey. p. 264. Quare etiam mortuo hodierno Mantuae Ducae jus succedendi Domui Austriacae esset fundatum, cum Eleonora Caroli II. soror, Ferdinando III. Imp. nupta, Jus haereditarium in eadem domo firmet. Cum tamen magnam partem ducatus teneat Sabaudiae dux, infra de eodem plura dicemus.

§. XVII.

Mantuani Ducatus olim partes fuere Guastalla, Novellaria, Bozzvolo, Sabionetta, Castiglione. Ipsi autem Mantuae Ducem non adgnoscunt superiorem, sed directe se dicunt Caesaris Vasallos, uti demonstravit Corringius de finibus Imperii. c. XXIII. p. 527. Guastallae

E

stallae

Italiae quidem principatu Hippolitum a Carolo IV. investitum fuisse restatur Catalogus fendorum Italiae apud Itterum *de feudis Imperii cap. VI.* p. 269. Hinc etiam Rescriptum Caesareum occasione feloniae a Mantuae Duce commissae ad Italiae Principes, Imperii Vasallos datum, de dato Laxenburg 20. Maji A. 1701. ad eosdem quoque fuit directum.

S. XVIII.

De Mutinae & Reggii Principe dubium hodie non est, eum Vasallum Imperii esse. Ita Frid. III. Imperator Borsum Ferrariensem Ducem de ducatis Modenae & Regii, nec non de Comitatu Rovigeni investivit, uti patet ex Goldasto *p. VI. Polit. Imp. tit. 2.* Sic etiam Ferrariae Ducem Modenam, Ruberam & Carpum beneficiario jure a Carolo V. accepisse restatur Conring. *de finibus Imperii. cap. XXIII.* p. 524. Ipse Maximilianus I. Imperator, Ducem Ferrariensem a se & Imperio de Modena & Reggio investitum esse profitetur, apud Goldastum in den Reichs-Handlungen *p. 24.* Hodie Dux Modenae se ipsum talem agnoscit, ratione Urbis Mutinae, Regii, Lepidi Caporum Fregnani, Grossignanae Principatus Correggio & Comitatus Rolensis, quod ex auctore de Principatibus Italiae *p. 30.* refert Itterus *de feudis Imperii cap. VI. §. 24.* Quare etiam Imperator cum Franciscus I. Mutinensis Dux copiarum Gallicarum sub medium saepioris seculi praefectus, Mediolanensem Ducatum infestaret. Ipsum per declaraciones suas, criminis feloniae reum faciebat, etiam investituram de Principatu

patu Correggio denegabat. Dequo in conventu Ele-
ctorali Francofurtenſi conqueſtus est Francifcus pe-
culari libello memoriali, qui extat P. i. *Diarii Euro-
paei p. 563.* Quare etiam Capit. Leopoldinæ art. XXIX.
inſerrum: Soll auch dem Herzog von Modena daß
er ſich im Krieg mit der Krohne Frankreich conju-
giret hat / an der Belehnung Correggo nicht verhun-
dern. Wenn er anders den Lehen-Rechten gemäß
ſich daran qualificiret / und ſonſten keine andere
rechtmäßige exception vorhanden. Hinc etiam Re-
ſcriptum Caſfareum ad eundem quoque cum aliis
Imperii Vasallis est directum. Caſtrum Bersello tan-
quam ſubfeudum Imperii a Duce Manuano, domi-
no directo tenet, cui in recognitionem dominii
quotannis par calcarium praefare tenetur, Auctor
de Principatibus Italiae p. 30. Beschreibung der Lam-
berden. p. 497.

§. XIX.

Mirandulanos Principes Principatum ſuum be-
neſiciario jure ab Imperatore recognoscere demon-
ſtravit Conringius de finibus Imperii cap. XXIII. p. 538.
Immo etiam inter feuda Imperii numeratur Miran-
dola a Gerzweilero in catalogo feudorum Italiae, a-
puſ literum cap. VI. p. 273, nec dubitat inter ea re-
ferre auctor der Beschreibung der Lambarden p.
226. Quin & patet illud exreſcripto Caſfareo ante ad-
legato, quod aeque ad Mirandulanos Principes di-
rectum eſt. Taceo jam Parmae & Placentiae Du-
ces, qui non Imperatorem, ſed Pontificem adgno-

E 2

ſcunt

scunt Dominum directum, licet Conringius de finibus Imperii Germanici cap. XXIII. p. 525. probare velit, cum Placentia a Caesare redderetur Octavio Francisco, diserte adjectum esse, ut manerent Imperio salvae rationes, quas in Parmensi ditione habet. Nec tamen in Catalogo feudorum Imperii Italicorum Gerzweileri apud Iterum continetur. Parmensis igitur Dux hodie ratione Ducatus Parmensis & Placentini, Imperium non recognoscit Superiorem, Vasallus tamen est Imperii nomine quorundam feudorum minorum, quae possidet, inter quae Nibiano, Roccadel, Zese atque alia. Quare etiam ad eundem directum est Rescriptum Caesareum. Papam etiam nunc Imperii esse fiduciarium cum Conringio sunt qui contendant, sed parum defendunt. Genuensium atque Luccensium Status, Republicas liberas ipsum adgnoscit Imperium. Possident tamen quaedam feuda minora Imperii, quae enumerantur in Beschreibung der Lombarden, p. 649. ita ut illorum ratione ab Imperio omnino dependeat, atque superioribus annis ad solvendas contributiones fuerint adacti. Silentio praeterero alia feuda Italiae a minoribus quibusdam Vasallis atque nobilibus possessa, quorum Catalogum necit Gerzweilerus apud Iterum.

§. XX.

Principem Sabaudiae, ratione Ducatus sui, Vasallum Imperii esse, nullum est tubium, quare etiam hodiernum Duceum Ducatum suum jure beneficiorio a Leopoldo accepisse refert Henniges, *notis ad Beckeri*

Beckeri jus publicum lib. I. cap. II. p. 50. Iterus de feudiis Imperii cap. VI. §. 18. Verum cum insimul sit Status Imperii, qui inter Holsatiae Duces & Hennebergiae Principes suffragium fert in Comitiis, atque in Recessu Imperii ultimo cum aliis Statibus etiam Legatus ejusdem subscripsit, & in Comitiis adhuc durantibus per legatum suum Carolum felicem Malletti, hujusque successorem, Dominum Carolizzo comparuerit, nos non adeo videtur tangere. Status autem est Imperii ratione Sabaudiae Ducatus, aliarum autem terrarum nomine quas possidet, merus est Vasallus. Pedemontanum quidem Principatum feudum Imperii esse contendit Conringius de finibus Imperii c. XXV. p. 639. nec tamen exemplum investiturae doceri poterit. Pignarolum tamen olim feudum fuisse Imperii exceptione in Instrum. Pac. Caesareo-Gallici patet. Imperator & Imperium cedunt transferuntque in Regem Christianissimum ejusque in Regno successores, jus directi dominii Superioritatis & quocunque aliud sibi & S. Romano Imperio haecenus in Pignarolum competit & competere potuerit. De Astensi vero Comitatu Carolum V. familiam Sabaudicam investivisse ex Mercurio Gallico refert Limnaeus Tomo I. additionum V. 14. p. 915. Ita etiam Cerae Marchionatum Ducem ab Imperio in feendum recognoscere, nec ipse Cacheranus, praefes quondam Sabaudiae diffitetur Conf. IX. n. 39.

§. XXI.

Per pacem Cherascensem pars Ducatus Montis-ferratensis, Sabaudiae Duci fuit cessa. Id quod postea pace Westphalica Instrumento. Pacis Cae-sareo - Gallico art. XCIV. fuit confirmatum, ita ut eandem beneficiario jure Imperio innexam teneat. Ejusdem juris sunt feuda Novelli, Monferratis, Si-nii, Moncherii & Castelletti, prout eodem Instru-mento fuit definitum. Possidet autem Sabaudiae Dux territorium Trinense arque Albense cum om-nibus, quae ad eadem pertinent. Ipsa etiam paci-ficatione Cherasensi anno 1631. per Galassam, Caesaris Plenipotentiarium, Galliae Regis legatos, & Duci Mantuae magnum Cancellarium Viscanum determinatae sunt singulae arces, orbes & oppida, quae Sabaudi esse deberent, in quarum possesso-nem Victor Amadeus, Dux Sabaudiae fuit missos, ipseque de iisdem a Ferdinando II. investitus, ut adparet ex libello Memoriali Sabaudiae Duci ad Sta-tus Imperii anno 1653. exhibito, apud Lundor-pium Tomo VII. n. 146. Cum autem Carolus E-manuel investituram de hac Montisferratenis Duca-tus parte peteret a Ferdinando III. haec denegata fuit ad usque Mantuano Duci, de pecuniae summa in pace Cherasensi a Galliae Rege esset satisfactum, de quo in dicto libello Memoriali conqueritur Dux Sabaudiae. Talem quoque libellum ad Collegium Electorale direxit. Repetit querelas istas legatus Sabaudicus in Comitiis arque per libellum Memorialem d. 28. Aprilis. 1659. oblatum apud Londorpium

Tomo

Tomo VII. lib. VI. n. 588. a Statibus petiit, ut Caesarem moneant, non posse absque violatione Instrumenti pacis Monasteriensis fieri, quia Dux Sabaudiae absque ulteriori dilatione investiatur: Sed cum nondum effectum sortiretur, illud capitulatione art. IV. fuit definitum, ut Sabaudiae Dux, sine ulla exceptione de Montisfererensi Ducatu investiatur, quod etiam Capitulatione Josephina fuit repetitum, hac tamen addita limitatione. So ferne sich der Herzog von Savoyen denen von Reichs wegen pubblichen Inhibitorii und Avocatoriis gemäß bezeigten und verhalten wird. Ex hisce satis videmus jura Imperii in Ducatum Montisferratensem adhuc esse integra, cum ipse Dux Sabaudiae se Vasallum Imperii profiteatur.

§. XXII.

Italia relicta pergimus ad aliarum terrarum Vasallos, qui ab Imperio dependent, ubi primo loco nominamus Regem Hispaniae, quem ratione Ducus Mediolanensis atque aliorum feudorum Italiae Vasallum esse Imperii supra diximus. Fuit olim quoque Vasallus ratione Burgundiae superioris, seu Comitatus Burgundiae vulgo dicti *Franchise Comte*, qui pars est veteris Regni Arelatensis, olim quoque dicti Burgundici. Hunc autem feendum Imperii esse, non solum Juris Publici Doctores innunt, quos magno numero adducit Iterus de feudis Imperii cap. 71. §. 4. sed etiam quod die 9. Aprilis

An-

Anno 1670. Hispaniae Rex ejusdem nomine in aula Caesarea fuit investitus, uti testatur alter Dia-
rii Europaei p. XXII. p. 334. Licet autem per pa-
cem Noviomagi 1678. inter Gallum atque Hispanum conclusam, hic Burgundiae Comitatus in Gal-
liae Regem, una cum omni superioritatis jure
translatus esset, jura tamen Imperii integra ma-
nent, si modo a Gallo servarentur. Ratione Du-
catus vero Burgundici, sive Belgis, Hispaniae Re-
gem Statum etiam esse Imperii, atque jure sessio-
nis & voti in Comitiis frui satis constat.

§. XXIII.

Lotharingiae Ducatum olim partem Imperii
fuisse nemo dubitat. Immo etiam nunc est. Te-
stimonium hujus rei certum praebet Tractatus No-
rbergensis in Comitiis Norbergensis annos 1542.
inter Ferdinandum I. Romanorum Regem, nomi-
ne Caroli V. & Antonium Lotharingiae Ducem
conclusus, in quo haec verba: *Convenimus virtute
praesentis instrumenti ut noster consanguineus Dux Lo-
tharingiae non tantum cum membris aut Statibus par-
ticularibus dependentibus ex feudo & feudo subalterno
Imperii, verum etiam cum Ducatu Lotharingiae, &
iis, quae ad illum pertinent, tanquam ad Ducatum,
nempe Alpum montem, Mussipontem & similia, maner-
e debent imponerum & in perpetuum sub tute la &
defensione Imperatoris, Regis Romanorum & Sacri Im-
perii, defendique ac protegi eodem modo, quo alii Duca-
tus*

tus & Status sacri Imperii. Cum autem inter Status Imperii locum habeat nos non amplius morabitur. Late de eodem agit Itenerus de feudis Imperii cap. VI. §. 13. & seqq. Furstenerius de Suprema en Principum Germaniae cap. LXI.

§. XXIV.

Dantur quoque inter Reges exterros aliqui, qui ob feuda Imperii, quae possident, Vasalli sunt. Sueciae Rex, ratione Pomeraniae & Ducatus Bremensis atque Verdensis Vasallus est Imperii, Rex Daniae ratione Holsatiae. Sed cum Civis quoque sint Imperii Romano-Germanici, nos jam non detinebunt. Galliae quoque Reget inter Vasallos Imperii numerat Kippingius, sed perperam, cum Delphinatum quidem, aliasque partes regni Arelatensis olim, possideat, a longo tamen tempore ab Imperio plane alienatas. Immo licet provincias quasdam a Germania avulsas possideat, Alsariam & Argentinensem tractum, liberae tamen istae cum omni iure, proprietate & supremo dominio fuerunt cessa. Petiti quidem superioribus annis ratione Comitatus Flandriae, quem possidet Galliae Rex, inter Status Imperii recipi, nec tamen obtinuit.

§. XXV.

Movebatur olim quaestio, an expeditat Reipublicae Germanicae exterros Principes ab Imperio distinctiones quasdam sub feudi lege recognoscere. Agebatur

batur quaestio in Tractatibus pacis Guestphalicae, cum de Alsacia Gallis cedenda tractaretur, ubi deliberabatur, an soluta plane ab omni Imperii nexu id fieret, an sub feudi lege traderetur. Rationes adlegabantur in hanc & illam partem, quas videamus adductas a Christophoro Forstnero in Epistola de pace Osnaburgensi, & prolixius a Tobia Pfannerero in Historia pacis Westphalica lib. V. n. 99. & seqq. de eo jam conventum fuerat cum domo Austria-
ca, ut Alsacia & Suntgovia cum adnexis cederen-
tur, declarationem tamen suam Legati Statuum Osnaburgenses proponebant, ut nihil aliud eo nomi-
ne translatum & cessum intelligatur, quam quae
ad domum Austriacam spectarunt, atque ab ea
ecedi potuerunt. Quae declaratio habetur apud
Lundorium Tomo VI. lib. IIII. cap. 255. Cum autem
ista a legato gallico, Comite de Servient non reci-
peretur, Statuum legati de eo ad ipsum Galliarum
Regem scriperunt, quae litterae extant cap. 261. Ni-
hilominus demum Imperium cessit omnibus juri-
bus, proprietatis, dominiis, possessionibus ac ju-
risdictionibus in provincias ac praefecturas in Gal-
liae Regem translatas, per Instrum. Pacis Caesareo
Gallicum §. quomagis autem. Joh. Wolfgang. Textor qui-
dem de Racione Status Germaniae cap. IV. n. 105. con-
sultius putat Germaniae nostrae, exteris, quibus
provinciae ceduntur, in civitatem recipi, quo hac
ratione provinciae non prorsus pro avulsis habeantur.
E contrario Forstnerus l. c. p. 52. & seqq. &
cum eo Iterus de feudis Imperii cap. VI. §. 1. exte-
ros

ros ab areanis Imperii arcendos atque removendos esse arbitratur. Verum, concedamus licet periculosem admodum videri, exteroros negotiis Imperii immisceri expeditum tamen nondum est; an non consultum foret Reipublicae, Germanicae si provinciae cessae saltē feudali nexū obstrictae Imperio tenerentur. Hoc ipso enim exteri tanquam Vasallii Imperii obligati essent pro defensione Imperii. Notum enim est, quantum auxili hucusque Imperio nostro praestiterint Sueciae atque Daniae Reges.

§. XXVI.

Ex hoc illud etiam expediri potest dubium, an ex usu sit Germaniae Vasallorum numerum augeri. Quod si enim de iis quaestionem intelligamus, qui provincias suas adhuc dum haut obnoxias Imperio, in feudum offerunt, res certa est, expedire omnino, cum ex eo quoque ad praefanda servitia militaria teneantur, arque de eo intelligi debent Merckelbach apud Klockium lib. 1. Cons. XI. n. 150. Maximilianus Faust ab Aschaffenburg Cons. pro aeraario clafs. XX. ord. 1628. p. 1002. Sed si unda feudorum divisione numerus Vasallorum adaugendus fuerit, res adeo expedita non est. Interest enim potius Imperio Vasallos potentes habere, quam numerosos. Quae & inter coeteras ratio viderur; quod primogeniturae jus in posterioribus provinciis Germaniae nunc introductum sit. Immo, licet provinciae quandoque dividantur investitura tamen adhuc

F 2

con-

conjunctionem fieri solet. Id quod vel potentissimae domus Saxonicae exemplo omnibus constare arbitror.

Sectio Tertia.

De Juribus Vasallorum, horumque a Statib[us] Imperii differentia.

- §. I. Nudi Vasalli ad Comitia non vocantur, ut Principes Imperii.
- §. II. An Principes Italiae dici possent Cives honorarii.
- §. III. Differunt Principes Italiae a Statibus investitura.
- §. IV. Differunt in juramento fidelitatis.
- §. V. Judicium feudale in causis Principum Germaniae.
- §. VI. Judicium feudale in causis Principum Italiae.
- §. VII. Mantuae Dux feloniae est reus.
- §. VIII. An nudus Vasallus banno posset notari.
- §. IX. Nudis Vasallis contributiones imponit solus Imperator.
- §. X. Jura Imperii in Italiam non sine commodis sunt.
- §. XI. Qui sint modi exactiōnum a Vasallis Italiae.

§. XII.

- §. XII. Nudi Vasalli differunt a Statibus ratione austre-
garum. alterumque jurium.
- §. XIII. Quae jura legationum Principum Germaniae
& Italiæ.
- §. XIV. Conclusio totius tractationis.

§. I.

Explatis hactenus Vasallis Imperii, qui sunt, pro-
gredimur nunc ad horum jura, commoda atque
incommoda, consideraturi potissimum quadenus in
istis a Statibus Imperii discrepant. Inter haec pri-
mum est, nudum Vasallum ad Comitia Imperii non
admitti. Diximus in superiori sectione prima, quod
de essentia Status sit sessione & voto frui in Comi-
tuis Imperii, atque eo respectu, eum, qui Status est
Imperii, civem magis, quam subditum dici contem-
dit Burgoldensis ad Instrum. Pac. disc. XXIII. Fürstene-
rius de Suprematu cap. 27. 28. Hinc etiam in conven-
tu Noviomagensi Episcopus Argentoratensis cum
Imperatoris & Imperii subditus appellaretur, gravi-
ter de eo conquestus est libello Memoriali exhibito,
qui extat Tomo II. des Actes de Nimegue p. 194. no-
vum & Imperio in auditum titulum affirmans, id-
que (1) quod ex Capitulatione & Constitutionibus
Imperii constet, Principes quidem Imperii ut Status
& membra tractari ab imperatore, ut subditos non
item. (2) quod in Comitiis Imperii Imp. & Prin-
cipes

cipes per modum conventionis secum invicem contrahant. (3) quod Principes cum Imperatore foedera pangant. Quae etsi per omnia mea non faciam, negari tamen nequit, majoris esse laboris, ut nus in Statuum numerum, quam ut inter Vasallos recipiatur. Conferantur acta publica apud Lundorpium Tomo. IV. lib. IV. cap. V. p. 807. in causa Comitum de Hohen-Zollern, in Comitiis Ratisbonensibus 1640. nec non Capit. Leopoldina & Josephina art. III. Status itaque non sunt Vasalli, qui in Comitis non adparent, neque juris Germanici sunt, sed Longobardici; nec tamen ideo dici poterunt subditii, cum non omnis Vasallus sit subditus: subjectionem quidem debent Imperatori, sed non aliam, quam Vasallus domino directo.

§. II.

Sunt, qui Principes Italiae haud incongrue cives honorarios dici posse purant, inter quos est Vitiarius, in Instit. I. P. lib. II. tit. V. eo, quod Imperii atque Imperatoris Majestatem comiter observent. Verum si Aristotelicam Civis definitionem V. Nicomach c. VI. (quod sit persona, cui in ea civitate, cuius est civis, potestas est fungendi Magistratu, vel deliberativo vel judiciali) formae praesenti Imperii applicare & cum Conringio de Civibus Imperii §. VI. Civem Imperii nostri Germanici dicere, qui potestatem habet de iis, quae ad τὸ Κύριον vel summam Reipublicae pertinent, fas est, Principibus Italiae applic-

applicari civis appellatio vix poterit. Et si vel maxime dicamus, eos ideo dici posse cives honorarios, quod dignitate Principes Germaniae adaequant, neque tamen hoc conveniet, cum ut Principes considerati, nostri Imperii Civibus quidem non cedant, habito tamen respectu ad Imperium, longe inferiores sint conditionis.

§. III.

Patet haec deterior Principum Italiae conditio etiam ex investitura. Principes Imperii investiuntur ab ipso Imperatore certis solennitatibus, uti visi potest ex diversis actibus investiturarum, quales describit Illustris Stryckius *in appendice juris feudalis n. IV.* & Cassander Thucelius *in electis Juris Publ. cap. V.* Minorum vero feudorum de Comitatus, Praelaturis investitura, ad Judicium aulicum spectat, ita ut Vasalli coram eo juramentum fidelitatis praestent. Iisdem ideo comparantur feuda Italica, quae tamen in eo adhuc deterioris sunt conditionis, quod Germani Vasalli Comites, Praelati Barones vel nobiles investituram Stantes, Itali vero in genua procidentes eam accipiunt. Totum hunc actum investiturae feudorum Italorum describit Uffenbach & ex eo Cassander Thucelius *in electis J. P. p. 252.* nec incongruum erit eandem hic inserere. Die Minora, als Gräflich- und Freysherrliche belangend / werden solche stehend durch Ablegung des Juramenti Fidelitatis, - welches vom Secre-

Secretario dem Empfänger vorgelesen wird / vom Hochstpreislichen Reichs-Hofsrath bei öffner Thür empfangen / verstehe / wann der Empfänger ein Deutscher ist; Wann aber Weitsche Lehen empfangen werden / gehet es folgender Gestalt zu : Der Thürhüter legt ein Teppich vors Herrn Praesidenten Füsse auf die Erde / und bleibt Er / Herr Praesident, an seinem Ort und Stelle sitzen / nur daß Er sich um und zum schwerenden kehret; Nachdem nun das Evangelibuch vom Herrn Praesidenten auf den Tisch gelegt worden / wird die Reichs-Hofsrath's Thür eröffnet / und der Vasall, oder dessen Mandatarius hinein / und die Thür so lang offen gelassen / als der actus wehret : Wann nun der Vasall oder Mandatarius hinein gegangen / und drey tiefe Reverenz dem Praesidenten gemacht hat, kniet Er vor ihm auf dem Teppich nieder, legt die zwey rechte erste Finger aufs Evangelibuch / welches der Herr Praesident in Händen hält / alsdann liest der Herr Secretarius, so oben gegen dem Praesidenten überstehet / den End von Worten zu Worten in folgenden Formalien ab :

Ego (N. N.) juro ad haec Sancta Dei Evangelia,
quae bic corporaliter tango, si fuerit Procurator: Vi-
gore mandati Procuratorii, in hoc Excelso Consilio Imper-
riali Aulico per me exhibiti, vice, loco atque in Aul-
iam N. N. (nomen Vasalli:) quod dictus N. N.
(Vasallus (ratione feudi N.) specificatur teudum
cum suis dependentiis) de quo nunc investitur, Sere-
nissi-

nissimo, Potentissimo ac Invictissimo Principi ac Domino, Domino Leopoldo, electo Romanorum Imperatori semper Augusto, omnibusque ejusdem successoribus, Romanorum Imperatoribus ac Regibus legitime intrantibus, adeoque Sacro Romano Imperio, perpetuo fidelis & obediens erit ac esse debet, Commoda Sacrae Caesareae Majestatis Sacrique Imperii fideliter promovebit, damna vero monebit & avertet, neque unquam sciens per se vel per aliam in Consilio seu tractatu erit, consensu vel facto, ubi aliquis contra Majestatis suae Caesareae personam, honorem, dignitatem & Statum quounque modo agetur seu concludetur, & si quid ejusmodi tractari intellexit, id ipsum pro viribus impedit, & ad Sacrae Caesareae Majestatis notitiam sine mora perfervi curabit, coque omnia praefabat & faciet, quae fidelis Imperii Vasallus Dominis suo Romano Imperatori ac Regi facere, ac praestare tenetur, de consuetudine vel de jure, omni fraude & dolo semoisi, ita eundem N. (Nomen Vasalli) Deus adjuvet, & haec sancta ejus Evangelia, vid. Uffenbach de Consilio Caesareo Imperiali Aulico cap. IX. p. m. 121.

§. IV.

Putat quidem Fürstenerius de Suprematu cap. XXVII. nullum plane esse discrimen inter formulam sacramenti, quod exteri Reges, aut quod Germaniae Principes Caesari atque Imperio dicunt. Sed bene notanda est differentia: Electores & Principes in juramento fidelitatis se obligant: Sie wollen als
G les

les das thun / das sich von einem gehorsamen
Churfürsten (Fürsten) des Heyl. Reichs und ge-
treuen Lehnmann / gegen Ew. Kaiserl. Majestät
und dem Reich zu thun gebühret. In juramento
fidelitatis Principum Italiae saltim dicitur: *Eaque*
omnia praestabit & faciet, quae fidelis Imperii Vasal-
lus Domino suo Romano Imperatori ac Regi facere ac
praestare tenetur. Vasallus ergo dum saltum dicitur,
non nisi Vasallorum jura ipsis competent.

§. V.

Ex hac ipsa differentia videmus fortius adhuc
obligari Principes simul ut Cives, quare etiam ad
decreta Comitiorum tenentur, ad onera Imperii pro-
rata contribuunt, immunitatibus tamen fruuntur
in legibus & observantia Imperii praescriptis, de qui-
bus nudi Vasalli non participant. Principes igitur
Imperii jurisdictionem adgnoscunt Imperatoris &
Imperii, ad reservata vero Imperatoris spectant cau-
sae Italicae. Quare etiam non nisi a judicio au-
lico decidi possunt. Ericus Mauritius *de judicio au-*
lico §. XIV. Magnam itaque vidernus differentiam
ratione feudalis judicii. Inter juris publici enim
Doctores agitata atque a plerisque decisâ res est,
ubi de feudis Principum Imperii agitur, Imperato-
rem solum non judicare, sed adhibendos esse, in
feudale judicium Principes, Pares Curiae. Adpel-
latur hoc das Fürsten-Recht / cuius vigore impe-
rator in causis, Principes eorumque bona, hono-
rem

rem aut vitam concernentibus, in Sachen, so eis
 nes Fürsten Leib, Ehre und Lehnshaft betreffen,
 non absque consilio & votis Principum Germaniae,
 tanquam Assessorum, quod statuendum est decer-
 nit, de quo Goldastus Tomo III. *Constit. Imper.* f.
 441. Sed adde L. B. de Lyncker. *Anal. ad Strub. Synt.*
 I. F. c. 16. apb. 5. n. 3. Nolumus jam coacervare ar-
 gumenta singula, quae ad probandum hoc jus Prin-
 cipum faciunt, cum latius haec deduxerint Auctor
 des Berichts ob die Kaiserliche Majestät in Sa-
 chen Fürstenthum betreffend, so vom Reich zu Le-
 hen rühren und einen Theil gänzlich abgesprochen
 werden sollen, allein und zwar durch dero Reichs-
 Hoff-Math oder mit Beziehung der Thur- und
 Fürsten des Reichs, als Parium Curiae zuerkennen
 und zusprechen Macht habe. Cassander Thucelius
 in *electis Juris Publici cap. I.* qui multis documentis
 illud probat, Johannes Gröningius in *tractatu de Ju-
 re Principum.* Vitriarius illustratus lib. IIII. cap. II.
 atque aliū. Et licer exempla sint in contrarium, ta-
 men inter turbas Germanicas haec incidere quilibet
 vider. Non alienē ab hoc loco sunt, quae Directo-
 res Circuli inferioris Saxonici, in causa successionis
 Güstrovensis in literis ad Imperatorem datis, ur-
 gent: So werden verhoffentlich Ew. Kaiserl. Maj.
 auch schon selbst der Justiz gemäß befinden, nun-
 mehr ein Gericht aus unparterischen des H.
 Reichs-Fürsten zu bestellen, die diese ihre so im-
 portante Angelegenheit aufs genaueste gründlich-
 ste, aus einer von Ew. Kaiserl. Majestät ihnen gege-

gegeben Commission untersuchen. Ratio est facilis Status Imperii ipsi sunt Cives atque membra Imperii, quae de corpore simul participant, atque ideo sine praefictu aliorum constatuum non commodo inde rescantur.

§. VI.

Verum si ponderemus, an haec Principibus Italiae aequi convenient, singula haec cessabunt. Principes, Italiae & qui alias nudi sunt Vasalli, non sunt Status, de Imperio non participant ejusque iuribus & immunitariis non fruuntur, sed pro ut non nisi feudali nexus Imperatori & Imperio sunt obligati, juri feudali sunt subjecti. Quod si igitur ingratis se gerant adversus dominum, vel alias se feudo reddant indignos, uno verbo si feloniam committant, jura Statuum Imperii in eos non cadent, eo quod tanquam partes regni Longobardici deterioris sunt conditionis, sed poena jure feudali praescripta, privatio scilicet feudi. Haec autem praevia caussae, cognitione, aliisque adhibitis solennibus ex judicio Parium Curiae qui tamen Principes Imperii esse non debent, fieri potest, nomine Imperii ab Imperatore, tanquam Domino directo.

§. VII.

Videmus itaque ex ante adductis, citationem atque condemnationem Mantuanii Ducis haut ita pri dem factam. plane non contra iura Imperii esse. Mantuae

Mantuae Ducem Vasallum Imperii esse sectione se-
cunda diximus. Aperta igitur haec erat feloniam,
quod Mantuae Dux, non obstantibus omnibus salu-
taribus de hortationibus & monitis, occurslante ex-
ercitu Caesareo, sola auri Galici aviditate, fortali-
tum ac Urbem Mantuae in dubium Imperii feu-
dum, nulla suadente necessitate, nullo urgente pe-
riculo, vel alia minima violentia, Gallo, hosti Im-
perii traderet. Imperatoris igitur erat, dictum Man-
tuae Ducem cum Consiliariis citare verbis: *Hinc*
eundem Ferdinandum Carolum ejusque Consiliarios, im-
primis vero dictos N. Beretti & N. Fiani, vigore pree-
sentium citanus & vocamus, serio districteque mandan-
tes ut intra terminum duorum mensium, a die citati-
onis bujus Nostrae Caesareae eisdem insinuatae proxime
subsequentium, quorum viginti dies pro primo, alios
dies viginti pro secundo, reliquos vero viginti dies pro
tertio, ultimo & peremptorio termino preefigimus, aut
si iste dies juridicus non esset, ad proximum sub se-
quentem, coram Nobis, Consilio Nostro Imperiali Auli-
co, ubicunque locorum illud fuerit, per se, vel per Pro-
curatorem suum legitimum & sufficienti mandato instru-
ebum, certo & in fallibiliter compareat, audituri & vi-
suri omnia bona sua feudalia & allodialia ab ipsis posses-
sa, respective caduca & fisco Nostro Caesarico delata esse,
& declarari, aut cur ejusmodi declaratio contra eosdem
sieri non debeat, causas juri consentaneas allegaturi &
probaturi, dictumque processum per juris terminos ex
legum preecripto, usque ad sententiae publicatio nem
prosecuturi, certi ceteroquin, quod sive ita comparue-

rint, sive non, absentia vel contumacia eorum non obstante, nibilosecius, ad ulteriore fiscalis Nostri Imperialis instantiam, ad ea procedetur, quae juris & iustitiae rationi consentanea videbuntur. Integrarum citationem habemus, in Fabri *Staats-Canzley* Tomo IV. p. 618. Omnem quidem movebat lapidem Galliae Regis legatus, quo Statibus tanquam rem odiosam & contra jura Imperii factam proponeret, verum in cassum laborabat, ipsis Statibus adnoscitibus, nihil contra jura eorum fuisse actum. Ejusdem tenoris est citatio Caesarea ad Ducem Sabaudiae, ejusque ministros directa, de dato Viennae 11. Augusti 1701, quae habetur apud Lunigium in supplemento *Sylloges publicorum negotiorum* n. 295. Neque nova haec res, quin non & priori tempore fuerit usitata. Testis enim est Uffenbachius de *Judicio Aulico* cap. XI. p. 123. in causa non petrae investiturae, hunc processuum servari, ut Fiscalis de officio commonefactus, libellum supplicem de eo proponat, pro citatione ad vindendum feudo privari, quae citatio ubi adversae parti insinuata fuerit, desuper usque ad conclusionem procedatur, auctorumque fiat relatio & sententia pronuntietur. Idque in citatione Malespinæ Marchionis observatum fuisse dicet, qui non perierat investituram feudorum Suevici & montis Simonis in Italia cap. VII. p. 40.

§. VIII.

Ex eodem fundamento proficit quaestio, an nudus Vasallus proscribi atque bauno Imperiali possit

sit notari? Si de Statu Imperii quaestio esset, res du-
bio careret. Cum in Capitulatione Ferdinandi III.
art. XXX. Leopoldi art. XXXVIII. & Capitula-
tione Josephi art. XXVII. definitum sit, neminem
eorum inauditum & sine praesitu Electorum pro-
scribi debere. Cum enim a Ferdinandō II. multae
proscriptiones factae sine consensu Statuum, hisce
obviam ire voluerunt Electores, talia inserentes Ca-
pitulationi. Quare etiam art. III. instrumenti Pacis
decretum, ut in proximis Comitiis de modo & or-
dine in declarando uno vel altero Statu in bannum
Imperii agatur, quod vero nondum est definitum.
Quod si tamen verba capitulationis inspiciamus, sub
iisdem comprehenduntur omnes, qui ullo modo ad
Imperium spectant. Ita enim habent: Wir sollen
und wollen auch fürkommen / und keines weges
gestatten, daß hinsüdho genandten hoheit und nie-
vern Standes / Churfürst / Fürst / Stand oder
anderer / ohn rechtmäßige und genugsame Ursach /
auch ungehindert und ohne Vorwissen / Rath und
Bewilligung / des heiligen Reichs Churfürsten /
welche sich des Werks nicht theilhaftig gemacht /
in die Acht und Oberacht gethan / gebracht / oder
efflaret werden &c. Verbis hisce Stand oder andes-
ter / omnes comprehenduntur, qui Status non sunt,
ideo quoque nudi Vasalli, & licet quidem in proje-
cto Capitulationis perpetuae, hoc tantum restringa-
tur ad Status Imperii, verbis, da ein oder anderer
Reichs-Stand / cum tamen de eo articulo & certa
norma in proscriptione servanda, atque futuro Re-
cessui

cessui inserenda, inter se conferent Status Imperii, hac formula iterum usi fuerunt, *Churfürst / Fürst, Stand oder anderer.* Licet nec de hoc adhucdum inter ipsor convenerit. Videmus ex hisce nudos etiam Vasallos, si de ipsorum proscriptione agatur, nec inauditos, nec sine consensu Statuum Imperii proscribi posse, uti in dicta collatione continetur, ohngehört und ohne Vorwissen, Rath und Bewil- ling des Heiligen Reichs Churfürsten und Stän- den in die Acht oder Oberacht gehan, gebracht und erkläret. Fabri *Staats-Cantley Tomo VII. p. 641.* Nisi quod hunc consensum hactenus sibi so- lum reservaverint Electores in Capitulationibus. Im- perator igitur in Citatione ad Ducem Mantuae & Ducem Sabaudiae, his quidem verbis utitur: *Serio- que & sub banni Imperialis ejusque publicationis & ex- ecutionis poena mandamus, ut ab iis (ministris Gallicis & Hispanicis) penitus abstineant, iisdemque bannum comminatur, quod si vero banno notari debuissent Principes, haut dubie adhibito Electorum vel Sta- tum consensu hoc factum fuisse, banni tamen no- tationem fecutam esse non novimus.*

§. IX.

Magna quoque inter Status Imperii, Membra, & nudos Vasallos est differentia ratione Collectarum in Imperio. Quemadmodum enim collectae in Im- perio nostro, ubi publica necessitas illas postulat, non nisi Comitiali Statuum consensu suffragante in- dicun-

dicuntur, prout instrumento Pacis Westphalicae art.
 VIII. §. *Gaudens* est definitum, Capitulatione Fer-
 dinandi IV. art. XIV. Leopoldi art. XVII. Josephi art.
 XVI. confirmatum, Membra Imperii vero, seu no-
 biles immediati subsidia praebent charitativa. Datt.
 de pace publica lib. III. cap. VI. n. 9. ita secus est in
 nudis Vasallis, a quibus illa juste possunt exigi,
 quae leges feudales Domino directo ad servitia.
 Haec autem consistunt in opera, qua tam belli,
 quam pacis tempore, consilio atque auxilio, Do-
 mini vita, corpus, honorque defenditur, territori-
 um aliave bona ac jura conservantur atque augen-
 tur, ut latius probavit Struvius *Synt. Juris feudalium*
 cap. XI. §. V. Nec tamen in his solis servitia Va-
 salli consistunt, sed quandoque etiam praestatio col-
 lectorum a Vasallis exigitur. Regulariter quidem
 Vasillus ut Vasillus ratione feudi, ad alias con-
 tributiones, quam eas, quae aliquando in locum
 consuetorum servitorum succedunt, non tenetur,
 Rosenthal cap. V. *Concl. LXXXVII.* Klockius de con-
 tributionibus cap. XIV. *Sect. 2.* Carpzov. lib. IV. resp.
 LXX, ubi vero consuetudine vel praescriptione col-
 lectae inductae, ad illas quoque tenebitur Vasillus.
 Carpzov. l. c. n. 21. 22. vel etiam in causum necessi-
 tatis. Haec igitur cum jure feudali communi defi-
 nitata, facile applicari possunt ad eos, qui tanquam
 Vasalli legibus feudalibus & juri dominii directi sunt
 subjecti. Tenentur igitur cum primis Imperatori
 ad servitia feudalia. Haec etiam olim a Vasallis Ita-
 liae fuisse praesita ex omni historia patet. **H**o-
 rum

rum autem nomine praefitiae olim fuerunt. Hostentiae, quae describuntur II. F. 40. Hostentiae dicuntur adjutorium, quod faciunt Dominis Romanum cum Rege in hostem (i. e. exercitum) per gentibus Vasallis, qui cum eis non vadunt: verbi gratia in Lombardiam de modo duodecim denarios. Ex hoc textu clare videntur, praefita olim fuisse servitia, vel horum loco certam pecuniae summam. Patet illud quoque exemplis. Ita Radevicus de gestis Friderici I. lib. II. cap. V. testatur, hujus Imperatoris aetate, annum fisci regii vestigal ex eo excrevisse in Italia, quod ex his, qui nullo jure, sed sola presumtione de regalibus se intromiserint, XXX. millia talentorum redditibus publicis per singulos annos accesterint. Henricus VII. quoque Pisas convocatis Italiae principibus, tributum Imperio debitum imperavit, nullo modo se imposterum laturum professus fuit, ut defraudaretur Imperium. Siquidem non suam rem, sed publicam Imperii ageret. Mutius lib. XXIII. Ciron. Germanici Rudolphus II. Imp. anno 1596. subsidia adversus Turcam a Vasallis Italiae petiit, de quo singulare extat rescriptum apud Goldastum. Tomo II. Condit. Imper. p. 582. Neque solum antiquo tempore exactio contributionum ab Italiae Vasallis obtinuit, sed etiam recentiora tempora illud testantur. Sub initium superioris seculi mittebatur D. Gerzweilerus Consiliarius Imperatoris aulicus, publicis auspiciis ad inquirendum in feudorum Italorum rationem atque exigendas contributiones Imp. ab Italicis Principibus aliisque Vasallis. Nec abnuerunt

erunt Vasalli, & plerique de qualibet domo ditio-
nis suae coronatum praestiterunt, nisi ob rei fami-
liaris angustiam, vel inducias, vel minorem sum-
mam paciscerentur. Ut plenius haec patebunt ex
scripto Gerzweileri, quod inseruit suo de feudis Im-
perii tractatu Iterus cap. VI. p. 263. Dicit quidem
Gerzweilerus in dicto scripto p. 264. praetendire ex-
wehnen Lehen ex praescriptione & privilegiis immu-
nitatem gleicher Beschwerden können der weiten Ab-
gelegenheit halber mit Macht nicht angehalten wer-
den / gestalten aus den alten investituren erscheint,
dass sie mehrentheils viel hundert Jahr zuvor
die Deutschen Kaiser anderst nicht / als wenn sie
mit großer Heeres- Gewalt in dem Land gewesen,
erkennet / wie auch zu Kaiser Caroli des V. und Fer-
dinandi Seiten beschehen / da die von Genua in der
Finalischen Sach gehorsam müssen und ihnen an-
dere gefehlet. Nachher hat Hispania, Genua, Sa-
voia, Mantua, Florenz die geringere Kaiserliche Lehn-
leut mit Macht überwachsen / überlässtiget und über-
wältiget / dessen Tempel zu der Verkleinerung
der Kaiserlichen Majest. Hohheit gnugsam fürgan-
gen. Videmus ex eo, multum juris Imperii in
feuda Italiae, non solum fuisse imminutum, sed
etiam praetendere, quidem Vasallos immunitatem
excepto tamen casu necessitatis, tempore belli. Ni-
hil ominus lubentes sua tunc temporis praestitue-
runt. Immo paucos ante annos jura sua in Imper-
ator, qui Anno 1692. per Commissarios suos
Caraffam atque Breunerum Comites ab Italiae Prin-

cipibus, veluti Florentinis, Statu Mediolanensi, Mantuano, Mirandulano, Genuensibus atque aliis Vasallis, non honorarii, sed debiti titulo ingentes argentii summas exegit. Vitriarius illustratus lib. II. tit. V. §. 1.

§. X.

Satis exinde patebit, non sine commodis esse iura Imperii in Italiam, ratione exactionum, quae tamen non tales sunt, quales alii Status secundum matriculam praestant. Quare etiam A. 1547. cum Status Imperii Augustae in Comitiis Italiae Vasallos de exsolvendis Imp. contributionibus sollicitandos esse censerent, ita respondet Imperator. Dieweil Italia eine sonder Nation und über Menschen Gedencken mit der Deutschen Reichs-Nation gewesen / auch von dieser weder Schutz noch Schirm des Land-Friedens, oder Rechtens erfreuen möge, auch weder Stand noch Stimme im Reich Deutscher Nation hätten; so würde von ihnen wegen der Anschlag nichts zu erhalten seyn. Praestant autem Vasalli talia, quae ex J. Feudali oriuntur. Quare cum etiam Electores in conventu suo Ratisbonae 1630. celebrato ad propositionem Ferdinandi II. meminissent, daß obwohl das Herzogthum Mantua und Monferrat zu des Reichs patrimonio gehöret/ so seynd sie doch keine Mitglieder und Stände desselben/ und habe das Reich außer des Juris feudalis sonst einigen Nutzen oder Vortheil nicht daran apud Limnaeum, manissa ad Capit. Ferdinandi II. Imperator inter alia responderet: es sind auch

auch die Italienische Reichs-Vasallen eben gleichmäsi-
ge auch wohl stärkere Lehens-Pflicht und Eydén als
die Deutschen / wie nicht weniger alle onera, tam per-
sonalia, quam realia zu praestiren schuldig und verbun-
den / Iterus defendis Imperii cap. XXI. §. 1.

§. XI.

Triplicem autem modum in exigendis contribu-
tionibus olim fuisse observatum ex Gerzweileri scri-
pto videmus, ubi dicit: erstlich von jeden Vasallen nach
der Maass seines Vermögens freiwillige Hülffe be-
gehret/ nacher solcher Hülffe auf die Annaden oder
Jedwedern eines Jahres einkommen taxiret, zuletzt
von den Vasallen abgelassen/ und auf die Untertha-
nen nach Anzahl der Feuerstätt oder Rauchfängen
einem jeden eine Golds- Krohne angeschlagen. Pri-
mus modus consistit in subsidiis charitativis, alter in
subsidiis pro ratione redditum annuorum cuiuslibet
Vasalli, tertius vero, ut de qualibet domo in territo-
rio cuiuslibet Vasalli sitae certum quid salvatur. Quan-
tum ad duos priores modos, fatetur Gerzweilerus,
parum illis fuisse praestitum, tertium reliquis praef-
fert quidem, suo tamen defectu aequa laborare ad-
gnoscit, ob disparitatem provinciarum atque subdito-
rum in redditibus. Addimus etiam quartum in nu-
peris contributionibus servarum, dum Comissarii Cae-
sarei, cum quovis Vasallo per singularem conven-
tionem de certa summa pacti fuerunt. Hoc autem
fieri posse a solo Imperatore, sine consensu Statuum
exempla docent.

H 3

§. XII.

Alia inter Principes Status Imperii atque Principes Italiae nudos Vasallos intercedit differentia, ratione juris Austregarum Turbulento enim olim Imperii Statu, cum judicia nec satis certa nec bene essent constituta, Principes inter se invicem arbitraria seu compromissoria instituerunt judicia, quae a Germanis Austregae fuerunt dictae. Quibus postea accesserunt aliae legibus determinatae, ideoque conventionales dictae. Hae autem non omnibus quidem Statibus, certis tamen in vim primae instantiae fuerunt concessae. Fruuntur tamen hoc jure alii quoque, licet non sint Status, utpote nobiles immediati Imperii, uti ex Ordin. Camerali p. II. tit. III. & IV. patet. Verum licet haec in commodum eorum, qui ad Regnum Germanicum spectant, ita fuerint determinata, nullibitamen de Italiae Principibus & Vasallis, qui juris Longobardici sunt, hujusmodi quid legitnr. Subsunt tamen nihilominus jurisdictioni Imperatoris. Causae enim Italiae, provinciae ac terrae Imperio nostro adhuc feudatariae solius Caesaris adgnoscunt jurisdictionem, ideoque ad judicium aulicum spectant, non vero Cameræ jurisdictionem. Ord. Cam. p. III. tit. XLVIII. Paurmeister de Jurisdictione lib. II. p. V. n. 60. Malcomesius de foro Spirens. §. 65. Uffenbach de judicio aulico cap. X. Subectione I. p. 33. Ratio est facilis, Cameræ jurisdictione est fundata in causis Regnum Germanicum concorrentibus, ultra cuius limites se non extendit. Idem dicendum de pace religiosa, aliisque juribus, quae sanctionibus Imperii pragmaticis sunt definitae. Haec enim nationi Germanice tantum præscripta, aliisque non convenient.

§. XIII.

§. XIII.

Unicum ad hoc restat, ut dispiciamus, an majora Principum Italie jura sint in mittendis legatis, quam Principum Germanice. Cetiset illur auctor notarum ac animad versionum in Fürstenerii tractatum de jure suprematus ac legationis Principum Italiae p. 14. putans, Italie Principes non virtute Suprematus vel superioritatis territorialis, sed usu & consensione gentium, possessione vel quasi juris mittendi legatos primi ordinis gaudere, adque in Imperio Electores, secus de reliquis Principibus, utpote qui reali & personali obligatione subjiciantur Imperio. Huic adplaudit auctor annotationem über die fürgefassene *Question ob Reichs* Fürsten besugt *Ambassadeurs* zuschicken in Cassandri Thucelii electis Juris publici p. 296. Primum quidem in hac controversia monendum erit, nemini hoc jus competere, nisi qui jure Suprematus, sive Potentatus, gaudet. Per hunc autem cum a Superioritate plane distinguitur, nihil aliut intelligimus, quam si quis territoriorum majus possideat, exercitum possit ducere, foedera cum aliis pangere, quod Galli vocant *la Souverainite*. Hunc autem Potentatum Principibus nostris Germanicis competere multa testantur, maxime cum quilibet ex iis certum suum territorium habeat, exercitum ducat, foedera pangat, etiam cum ipso Imperatore. Obstare quidem videtur investitura, juramentum fidelitatis, in quo Principes se obligant, dem *Kayser* treu / hold / und gehorsam zu seyn / obligatio ad deccrera Comitialia & sententias summorum in Imperio tribunalium, cum tan en alias libere agant in pro-

vin-

vinciis suis, horum etiam legati libere admittendi.
 Putat quidem auctor der annotaten, hoc jus mittendi
 legatos primi ordinis, non denegari posse Electori-
 bus, ob potentiam suam, Denjentigen/ welche grosse
 Länder hätten / und sich bey dem gemeinen Wesen
 vor andern meritiret gemacht & tamen item est nexus
 feudalis in Electoribus ac Princibibus. Idem auctor
 adserit p. 296. plura de Suprematu participare Princi-
 pes Italiae, quam Germanicae, daß die Italienischen
 Fürsten freyer seyn als unsere scheinet daher weil sie
 das Caput und mir gewisser Lehen Stücke halber de-
 pendiren. Verum, Italie Principes si non omnes in totum, cer-
 te ratione maioris partis provinciae sue sunt puri & nudi
 Vasalli, ideoque deterioris ad hoc conditionis ac Principes
 Germanice, qui simul Imperii status sunt. Neque obstabit,
 quod tempore pacis Westphalicae, Principes tantum deputa-
 tos miserint, ideoque primum pace Noviomagensi de eo fuisse
 disceptatum, cum antea solum in Imperio suos haberint le-
 gatos, qui dicebantur deputati, ubi vero Primum cum ex-
 teris agere coepirint, easdem ceremonias, quas Electorum
 & principium Italiae legatis, qui prius cum exteris egerunt,
 concesserunt, sibi quoque vindicare voluerunt, id quod etiam,
 licet non sine contradictione, in tractatibus pacis Noviomagen-
 sis a legatis Imperatoris, Angliae, & Galliae Regum obti-
 nuerunt, ita ut Principibus Germaniae, non solum jus mitten-
 di legatos primi ordinis concederent, sed etiam hisce titulum
 Excellentiae aliasque praerogatives, legatis Electorem concedi
 solitas, tribuerent.

§. XIV.

Haec igitur sunt jura Imperatoris atque Imperii in Va-
 sallos, quae alia non esse, quam quae jure feudali alias defini-
 ta, ex dictis satis parebit, praे quibus Principes Imperii, mu-
 tatis commodis illis legibus fundamentalibus concessis frui
 modo innuimus. Faveat conatus lector Benevolus,
 nostrosque labores benigne recipiad.

Jena, Diss., 1704

ULB Halle
004 582 462

3



f

56.

VD 18

14.
DISSE


VASA
STAT

Bon denen Reic
zugleich vor.

ON. IOH.
SCHR
IVRIVM DOCTOR
NON CVRIA
IN ILLVSTRI
AD DIEM
PVLICAE ERVDIT

RES
LVDOVICVS C
MEIS
VITEMBERGAI

B.I.G.



Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Dark Purple	Light Blue	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Dark Purple	Black
Medium Purple	Medium Blue	Medium Green	Medium Yellow	Medium Red	Medium Magenta	White	Medium Purple	Medium Black
Light Purple	Light Blue	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Purple	Light Black
Very Light Purple	Very Light Blue	Very Light Green	Very Light Yellow	Very Light Red	Very Light Magenta	White	Very Light Purple	Very Light Black

1704, 9 b
11

ON
II

enicht

NO

NEC

A

VS

TENRED
NIVERS.
VHALIE

